Zu der

öffentlichen Prüfung

der

Zöglinge des Berlinischen Gymnasiums
zum grauen Kloster,

welche

Sonnabend, den 4. April 1857,

Vormittag von 9 bis 12 Uhr mit den Klassen von Unter-Tertia bis Prima

und

Nachmittag von 2½ bis 5 Uhr mit den Klassen von Sexta bis Ober-Quarta

im

Hörsaale veranstaltet werden soll,

ladet

die hohen und höchsten Behörden

so wie

alle Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst ein

der Director

Dr. Friedrich Bellermann.

Inhalt: 1) Eine Abhandlung des Dr. Simon: Fastorum Romanorum specimen.
2) Schulnachrichten vom Director.

Berlin, 1857.

Druck von Carl Jahncke in Berlin, Klosterstrasse No. 49

Quamquam qui Pighii annalibus operam dederunt uno ore omnes consentiunt magnam esse illius viri sagacitatem, ingentem doctrinam, admirabilem diligentiam, tamen neminem fuisse arbitror, quin qua usus ille est in digerendis magistratibus temeritate atque audacia vehementer offenderetur. Annali enim lege fretus non solum qui quoque anno quaestores, tribuni plebis, aediles, praetores fuissent ex consulum nominibus nimis audacter collegit, sed etiam e quaestorum, tribunorum, aedilium numero restituere conatus est praetores. Atque hoc quidem quamquam laudari non potest, habet tamen aliquid excusationis. Sed aliam viam ingressus est minus probabilem. Etenim cum rerum scriptorum auxilio fastos explere se posse desperaret, eo descendit ut quasi dilectu instituto e fratribus, patribus, avis, atavis, atque etiam e virorum nobilium subole magistratuum collegia reficeret. Hoc certe ferendum non est; corrumpitur enim et convellitur eiusmodi coniecturis historiae fides et auctoritas.

Itaque cum magistratuum fastos, qui certis scriptorum testimoniis nitantur, magnam in se utilitatem habere, nemo sit qui neget, non inutile fore arbitrabar, si rem a Pighio inchoatam necdum absolutam denuo tractarem. Qua in causa ita versatus sum, ut quae nomina Pighius ad libidinem certa ratione non ductus exhibuit, omitterem et eorum loco sacerdotes, legatos, tribunos militum, centuriones, atque etiam equites et milites gregarios, quotquot inveniri possent, ponerem. Cognoscere enim ex scriptorum locis accurate et diligenter collatis, quo anno Scipio Africanus, Cato, alii viri clari stipendia primum meruerint, quo anno Fulvii, Nerones, Valerii, Claudii legatorum munere functi sint, quae necessitudo Thermo, antequam tribunatum iniret, cum Scipione intercesserit, qui Fabiorum, Otaciliorum, Corneliorum, Aemiliorum non solum rebus egregie gestis excelluerint, sed etiam cum civium laude sacerdotiis praefuerint, longe praestare mihi videtur quam virorum illorum turbam perlustrare, quos ne vixisse quidem nedum magistratum gessisse probare possis cuiquam.

Sed cum res ardua sit et admodum difficilis variasque in vituperationes incurrere recte possit, optime et mihi et causae consuluisse mihi videbar, si antequam periculum facerem, specimen huius libri virorum doctorum iudicio proponerem, ut emendatis iis qui inessent erroribus expeditum et liberum iter haberem ad ea quae in animum induxeram exequenda.

Annus urbis conditae 536, ante Christum natum 218.

CONSULES.

P. Cornelius L. f. L. n. Scipio Hispaniam provinciam cum 60 quinqueremibus, 8 celocibus, 2 legionibus (8000 ped. 600 eq.), 14000 ped. 1600 eq. socium sortitus est (Liv. XXI, 17). Provinciam non attigit, sed audito Hannibalis in Italiam adventu exercitum Gnaeo fratre duce in Hispaniam praemisit, ipse eo qui circa Padum erat exercitu imperium Romanum defendit (ibid. 32; Appian. VI, 14; Polyb. III, 49; Zonaras VIII, 23).

Tib. Sempronius C. f. C. n. Longus Africam provinciam cum Sicilia sortitus est. Datae ei sunt 2 legiones (8000 ped. 600 eq.), sociorum 16000 ped. 1800 eq., naves longae 160, celoces 12 (Liv. XXI, 17). Profectus in Siciliam Melita insula in deditionem accepta senatus litteris in Italiam revocatus 50 naves M. Aemilio praetori ad Siciliam, 25 Sex. Pomponio legato ad agrum Vibonensem defendendum reliquit (Liv. XXI, 51), et exercitu Ariminum praemisso eodem profectus ad Trebiam flumen collegae coniungitur.

PRAETORES.

C. Atilius Serranus iurisdictionem inter cives sortitus Manlio praetori 1 legionem (4000 ped. 300 eq.), 5000 ped. et 400 eq. sociorum in Galliam subsidio duxit.

L. Manlius Vulso, cui iurisdictio inter cives et peregrinos evenerat, provincia collegae tradita in Galliam profectus est cum 2 leg. Romanis, 10000 ped. et 1000 eq. socium.

M. Aemilius Lepidus Siciliam provinciam sine exercitu sortitus a Sempronio cum classis parte eo praemissus est. Postremo 50 navibus praefuit. (Liv. XXI, 49—51).

C. Terentius Varro Sardiniam sine exercitu sortitus est.

TRIBUNI PLEBIS.

Num Q. Claudius, cuius Livius XXI, 63 mentionem facit, hoc anno tribunus fuerit, postea quaeremus.

QUAESTORES.

C. Fulvius, L. Lucretius, qui a Livio (XXI, 59) commemorantur, L. Manlii praetoris et Tib. Sempronii consulis quaestores videntur fuisse.

LEGATI.

Cn. Cornelius Scipio Calvus Publii consulis fratris exercitum et classem in Hispaniam duxit. (Polyb. III, 49; Appian. VI, 14; Zonar. VIII, 23; Liv. XXI, 32).

Sex. Pomponius 25 navibus Tib. Sempronii praefuit. (Liv. XXI, 51).

EQUITES.

P. Cornelius P. f. L. n. Scipio hoc anno primum stipendium septemdecim annos natus inter equites videtur meruisse (Zonar. VIII, 23; Liv. XXI, 46; Florus II, 6; Silius Italicus IV, 117 et 130; Valer. Max. V, 4, 2; Seneca de benef. III, 33).

TRESVIRI AGRO GALLICO ASSIGNANDO.

C. Lutatius, C. Servilius, M. Annius (Liv. XXI, 25; XXVII, 21; XXX, 19; Polyb. III, 40; Velleius I, 14, 8).

LEGATI KARTHAGINEM MISSI.

Q. Fabius, M. Livius, L. Aemilius, C. Licinius, Q. Baebius (Liv. XXI, 18).

SACERDOTES.

Pontificum, decemvirorum, augurum, flaminum nomina prope omnia ex iis restitui possunt Livii locis, quibus qui quoque anno sacerdotes mortui essent, memoriae prodidit. Fuerunt autem

PONTIFICES: L. Cornelius Lentulus, pontifex maximus (Liv. XXII, 10, 1; XXV, 2, 1). Q. Aelius Paetus (Liv. XXIII. 21, 7). P. Scantinius (ibid.). L. Aemilius Paulus (ibid.). C. Papirius C. f. Maso (Liv. XXV, 2, 1). P. Licinius Crassus (Liv. XXV, 5, 3). T. Manlius Torquatus (ibid.). M'. Pomponius Matho (Liv. XXVI, 23, 7). T. Otacilius Crassus (ibid.).

DECEMVIRI SACRORUM: C. Papirius L. f. Maso (Liv. XXV, 2, 1). M'. Aemilius Numida (Liv. XXVI, 23, 7). Tib. Sempronius Longus (Liv. XXVII, 6, 16). Q. Mucius Scaevola (Liv. XXVII, 8, 4). M. Pomponius Matho (Liv. XXIX, 38, 6). L. Aemilius Papus (Liv. XLII, 28). C. Servilius Geminus (Liv. XL, 42).

AUGURES: Q. Fabius Maximus (Liv. XXX, 26). C. Atilius Serranus (Liv. XXII, 35, 2. XXIII, 21, 7). P. Furius Philus (Liv. XXV, 2, 1). Sp. Carvilius Maximus (Liv. XXVI, 23, 7). T. Otacilius Crassus (ibid.). M. Claudius Marcellus (Liv. XXVII, 36, 5). M. Pomponius Matho (Liv. XXIX, 38, 6). M. Aemilius Lepidus (Liv. XXIII, 30, 15). Cn. Cornelius Lentulus (Liv. XXXIX, 45).

FLAMEN DIALIS: C. Claudius (Liv. XXVI, 23).

FLAMEN MARTIALIS: M. Aemilius Regillus (Liv. XXIX, 11, 12).

FLAMEN QUIRINALIS: M. Aemilius Regillus (Liv. XXIV, 8).

REX SACRORUM: M. Marcius (Liv. XXVII, 6, 16; 36, 5).

CURIO MAXIMUS: M. Aemilius Papus (Liv. XXVII, 6, 16).

EXPLICATIONES.

Consulum alterum Hispaniam, alterum Africam cum Sicilia, item M. Aemilium praetorem Siciliam provincias sortitos esse ex iis, quos supra laudavi veterum scriptorum locis satis perspicue apparet. Reliquis praetoribus C. Terentio Varroni urbanam, C. Atilio peregrinam iurisdictionem, L. Manlio Galliam sorte evenisse Pighius in annalium libro IX, p. 149 et 150, quae est eius audacia, pro certo affirmat, neque tamen idoneis argumentis sententiam suam confirmat. Qua de re priusquam quid iudicandum sit statuamus, quibus veterum scriptorum locis Pighii sententia nitatur inquirendum nobis videtur esse.

Commemorantur autem hi praetores omnino his locis: Liv. XXI, 17: *Cornelio minus copiarum datum, quia L. Manlius praetor et ipse cum haud invalido praesidio in Galliam mittebatur;* XXI, 25: *L. Manlius praetor ira accensus effusum agmen ad Mutinam ducit;* XXI, 26: *C. Atilium praetorem auxilium ferre Manlio iubent* (patres); XXI, 62: *C. Atilius praetor vota suscipere iussus, si in decem annos res publica eodem stetisset statu;* XXI, 63: *Legionibus duabus a C. Atilio praetore acceptis in Etruriam exercitus duci est coeptus.* Appian. VII, 5: *Καὶ Μάλλιον μὲν καὶ Ἀτίλιον, οἳ τοῖς Βοίοις ἐπολέμουν, ἐς Ῥώμην ἔπεμψεν* (Scipio consul), *ὡς οὐ δέον αὐτοὺς ἔτι στρατηγεῖν, ὑπάτου παρόντος.* Polyb. III, 40 (v. p. 8) et 56: *Ποιησάμενος δὲ τὴν πορείαν διὰ Τυῤῥηνίας καὶ παραλαβὼν τὰ παρὰ τῶν ἐξαπελέκεων στρατόπεδα τὰ προκαθήμενα καὶ προσπολεμοῦντα τοῖς Βοίοις,* (Scipio) *ἧκε πρὸς τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία.* Liv. XXI, 39: *Ea P. Cornelio consuli causa fuit ... exercitu a Manlio Atilioque accepto ... ad Padum festinandi.* Liv. XXII, 25 (qui locus ad annum 217 pertinet): *Unus inventus est suasor legis C. Terentius Varro, qui priore anno praetor fuerat.*

Quos locos qui diligenter examinaverit facile concedet Atilio iurisdictionem inter cives et peregrinos obvenisse perspicue traditum non esse neque a Livio neque a Polybio neque ab Appiano. Ita autem si est, ne de Terentio quidem liquet et tota Pighii sententia collabitur. Etenim si quis ad defendendam illam sententiam afferat hos Livii locos XXIII, 30 et 32; XXIV, 44; XXV, 3; XXVII, 36; XXX, 1. 27. 40; XXXI, 6; XXXII, 1. 8; XXXV, 41, qui praetorem cui sors peregrina evenerat saepissime in provinciam belli gerendi causa missum esse documento sunt et Pighium in sententiam suam traduxisse videntur, meo iure quaerere ex illo mihi videor, cur non in Manlium quoque illi loci quadrent, ita ut eum putemus iurisdictionem peregrinam primo sortitum postea provincia collegae tradita in Galliam profectum esse; nam ne ei quidem Galliam sorte evenisse scriptorum quisquam tradidit. Quae cum ita sint, cum eodem iure utrumque contendi possit, alia via ingredienda est. Mihi quidem, cum rerum scriptores nihil certi tradant, res difficilis ita demum videtur expediri posse, ut inquiramus, quae provinciae eo anno fuerint, quae illis hominibus demandari possent. Itaque quaerendum est, quae provinciae illis temporibus in sortem coniici solitae sint.

Erat autem haec fere provinciarum ratio. Ex anno 242 a. Chr., quo duo praetores creari coepti sunt, provincia urbana ita divisa est, ut praetorum alter inter cives, alter inter cives et peregrinos ius diceret. Accidit tamen, si rei publicae tempora postulabant, non raro, ut cui peregrina sors evenerat iurisdictione collegae tradita in Siciliam proficisci iuberetur (Liv. ep. XIX; Pompon. de or. iur. §. 28; Lydus de mag. I, 38). Anno 227 a. Chr. primum quattuor praetores creati sunt, ut essent qui, cum duorum opera ad ius in urbe dicendum requireretur, in Sardiniam et in Siciliam quotannis mitti possent. (Liv. ep. XX; Pompon. §. 32.) Apparet igitur ex illo tempore in consuetudinem venisse ut quattuor praetoriae provinciae in sortem coniicerentur, iurisdictio urbana, peregrina, Sicilia, Sardinia. Hae erant ordinariae praetorum provinciae. Extra ordinem vero, cum magnitudini bellorum magistratuum paucitas non sufficeret, bellum gerere et peregrinus praetor iussus est et iis qui Siciliam Sardiniamque sortituri erant praetoribus, cum illarum provinciarum praesidibus imperia prorogata essent, aliae provinciae demandatae sunt.

Iam ut eo unde digressa est oratio revertamus, apparet quinque praetorias provincias eo anno in sortem coniici potuisse, quattuor ordinarias, praeterea Galliam; aliae enim provinciae, in quibus bellum a praetoribus gereretur, eo anno erant nullae. Atqui certum est primum Siciliam obvenisse Aemilio, deinde Varronem Galliae non praefuisse, denique in Sicilia non fuisse neque Atilium neque Manlium. Relinquitur igitur ut aut Manlio urbana, Atilio peregrina sors, Terentio Sardinia evenerit, aut ut Atilius urbanam, Manlius peregrinam, Terentius Sardiniam provincias sortiti sint. Tertium, quod videam, est nihil. Iam cum constet eum praetorem ad bellum gerendum proficisci solitum esse, cui iurisdictio inter peregrinos evenerat, si illud accidisset quod priore loco posui, Atilius, non Manlius in Galliam cum exercitu missus esset. Quod cum factum non sit, sequitur ut *Terentio Sardinia, Atilio iurisdictio urbana, Manlio peregrina sorte evenerit.* Sed fingamus aliqua de causa imperio ei, qui priore anno Sardiniae praetor praefuerat, prorogato, Galliam praeter consuetudinem in sortem esse coniectam: fieri potuit ut aut Atilio iurisdictio urbana, Terentio peregrina, Manlio Gallia, aut ut Terentio iurisdictio urbana, Atilio peregrina, Manlio Gallia provincia eveniret. Quorum si prius accidisset, Terentius Manlio more maiorum subsidia adduxisset, si alterum, Terentio vota suscipienda erant, non Atilio. Neutrum factum est, facta igitur non est eiusmodi sortitio. Quid si acciderit ut iurisdictio urbana cum peregrina coniuncta, Sicilia, Sardinia, Gallia in sortem coniicerentur? At Livius (XXV, 3) *Praetores,* inquit, *provincias sortiti sunt P. Cornelius Sulla urbanam et peregrinam, quae duorum antea sors fuerat,* quo ex loco colligi potest anno 212 a. Chr. primum id factum esse. Huc accedit quod raro omnino postea id videtur accidisse (anno 207, Liv. XXVII, 36).

Quae si recte disputata sunt, dubitari non potest quin *Terentio Sardinia, Atilio urbana provincia evenerit, Manlius peregrinam sortitus paulo post demandata provincia collegae belli gerendi causa in Galliam abierit.* Nec sum nescius quaeri posse quid sit quod Atilius, qui solus Romae praetor reliquus erat, in Galliam Manlio subsidia adduxerit; legatorum aliquem eo munere fungi potuisse; praetorem urbanum nisi in summis rei publicae angustiis Roma abesse non debuisse. Quae cum animo perpenderem causasque satis graves mente excogitarem, quae effecissent, ut is, cui urbana evenisset, Roma proficisceretur, incidi in hunc locum Livii XXII, 33: *in religionem etiam venit aedem Concordiae, quam per seditionem militarem biennio ante L. Manlius praetor in Gallia vovisset, locatam ad id tempus non esse.* Quo loco iam tota difficultas ita sublata est, ut res confecta videatur. Iure enim ex eo colligere possumus seditionem militarem in causa fuisse cur praetor urbanus primo quoque tempore in provinciam mitteretur praeter morem et consuetudinem.

Itaque hic fuit rerum gestarum ordo. Ineunte hoc anno 218 postquam consules magistratum inierunt, Terentio statim in Sardiniam profecto paulo post Aemilius in Siciliam, Manlius iurisdictione Atilio collegae tradita in Galliam profecti sunt. E quibus Manlius primus proelio certavit. Nam cum Boii nuntio Poenos iam Hiberum tramisisse allato armis repente arreptis rebellassent et Mutina obsidione cincta ne a legatis quidem populi Romani abstinuissent, Manlius infestis signis ad Mutinae obsidionem solvendam profectus est. Qua in re tam leviter egit, ut inexplorato agmine effuso in saltum invium

et impeditum inducto in insidias incideret et multa cum caede suorum inde evaderet. Deinde clade non deterritus cum iterum silvas intravisset, Boii novissimum agmen adorti magnum numerum occiderunt. Quo facto non minus ob ignomiuiam acceptam quam ob temeritatem et acerbitatem Manlii, quippe qui militum ignaviam incusaret, adeo eorum animi ira accensi sunt, ut seditio aperte oriretur, et Boii cum castra Romana antea in apertis campis temptare ausi non essent, Tanetum vicum, quo Romani contenderant, rebus quae intra munimenta gererentur cognitis oppugnare non dubitarent. Qua clade Romam nuntiata cum non solum subsidium laborantibus ferendum, sed etiam militum animi sedandi et placandi essent, patres quoniam consules in Hispaniam et in Africam profecturi erant, praetores ceteri Roma aberant, eo decurrerunt, ut Atilium praetorem urbanum ad subsidia eo adducenda et ad militum tumultum sedandum in Galliam mitterent. Ea P. Cornelio causa fuit Atilium, ut praetorem urbanum, et Manlium, militibus invisum, cum Hannibale iam Alpes superante Pisas rediisset, Romam remittendi, ubi utriusque opera magis quam in Gallia requireretur (App. VII, 5). Itaque cum Cornelius consul ineunte mense Octobri in Italiam rediisse videatur et Boii antequam Hannibal Hiberum transiit non rebellaverint, Atilius mense Augusto in Galliam advenisse et tres menses non amplius Roma videtur afuisse. Romae tum Atilius consulibus novis iam designatis extremo anno vota pro re publica suscepit, quo facto iurisdictione Manlio collegae demandata in Galliam profectus usque ad a. d. Id. Mart. P. Cornelii exercitui praefuit.

Sed iam satis de provinciis disputavisse videmur. Sequitur ut disseramus, quibus hoc anno copiis bellum gestum sit. Quae disputatio recte institui non potest, nisi antea docuerimus, quibusnam copiis res publica Romana eo tempore nisa sit. Quae res parum difficultatis habet neque longam orationem requirit. Biennio enim ante lustro XLIII condito censa civium capita esse 270213 Livii epit. libri XX docet. Quo in numero id dubitari potest, utrum de iis tantum cogitandum sit, qui intra septimum decimum et quadragesimum quintum aetatis annum fuerint, an ii quoque qui plus quadraginta quinque annorum erant, iu tabulas censorias referri soliti sint. Quarum sententiarum ut reiecta altera eam quam secundo posuimus loco amplecti malimus, hisce argumentis adducimur. Primum enim senatum Romanum censum agendo non id tantum spectavisse inter omnes viros doctos constat, ut eorum nomina, qui armis ferendis essent, comparerent, sed etiam ut certa, e qua tributa exigerentur, ratio subesset. Tributum autem seniores quoque pependisse certum est. Itaque Livius omnibus iis, quibus de illa re agit, locis haec verba breviter addit: *censa sunt civium capita*. Atque si cui haec disputandi ratio iusto levior videatur, Polybii ei verba quaedam obiiciam, quae leguntur in l. II cap. 24: *'Ρωμαίων δὲ καὶ Καμπανῶν ἡ πληθὺς πεζῶν μὲν εἰς εἴκοσι καὶ πέντε κατελέχθησαν μυριάδες· ἱππέων δὲ ἐπὶ ταῖς δύο μυριάσιν ἐπῆσαν ἔτι τρεῖς χιλιάδες*, quibus demonstratur, anno 225 (quinque annis ante hunc annum de quo nos loquimur) 273000 militum et de Romana et de Campana plebe iu tabulas relata fuisse. Probata igitur sententia, quam supra secundo loco posueramus, reliquum est ut rationem ineamus, quot in illo numero iuniores fuerint, quot seniores. Apparet autem e tabulis quae in nostris civitatibus ad civium numerum cognoscendum conficiuntur, inter

18944 homines, qui septimum decimum aetatis annum excedunt, esse 12430 qui plus 17, minus 45 annos nati sint. Sequitur anno 220 iuniores fuisse 177937. Cui rationi non repugnat Polybius. Itaque etiamsi diversitas aliqua aetatis inter nos et Romanos illos intercedat, id certe dubitari non posse spero, quin anno 220, nedum biennio post, anno 218, Romani plus 170000 habuerint, qui arma ferre possent. Quae si recte disputata sunt, Campanis in tabulis videntur fuisse supra 90000 iuniorum, qui numerus praeterea confirmatur his Terentii consulis verbis, quae leguntur in Liv. XXIII, 5: *triginta milia peditum, quattuor equitum arbitror ex Campania scribi posse.* Considerandum enim in iis est primum, etiam Campanorum civium primis belli Punici annis multa milia esse caesa, deinde, quod maximum est, Terentium quam minimum militum numerum imperando Campanorum animos in officio retinere voluisse. Itaque haec conclusionis nostrae summa est, anno 218 a. Chr. Romanis in tabulis 170000, in Campanis plus 90000 iuniorum fuisse. Quibus numeris facillime reliquae multitudinis numerus cognosci potest. Etenim cum in Europa inter 206 infantes 100 puellae 106 pueri, et inter 28988 homines 10044 liberi esse soleant, necessario sequitur, in civitate Romana tunc fuisse circiter 277000 liberorum, 254000 feminarum, ut omnes fuerint 800000; in Campana civitate fuisse, 137000 civium, 141000 liberorum, 129000 feminarum, ut universi fuisse videantur ad 407000.

Sed longius quam institueramus sumus provecti. Iam ad reliqua pergemus. Itaque quaerendum esse videtur, quibus copiis hoc anno 218 a. Chr. provincias ornari senatui placuerit. Sex in eum annum decretae legiones et socium quantum consulibus videretur et classis quanta parari posset: 24000 peditum Romanorum sunt scripta et 1800 equites, sociorum 40000 peditum, 4400 equites: naves deductae 220 quinqueremes, 20 celoces (Liv. XXI, 17). E quibus tradita sunt

Sempronio	8000 ped. R. (2 leg.)	600 eq. R.	16000 soc. ped.	1800 eq. soc.	160 naves.
Cornelio	8000 - - (2 leg.)	600 - -	14000 - -	1600 - -	60 -
Manlio	8000 - - (2 leg.)	600 - -	10000 - -	1000 - -	— -
	24000 ped. R. (6 leg.)	1800 eq. R.	40000 soc. ped.	4400 eq. soc.	220 naves.

Quae cum Livius l. c. perspicuis verbis tradat neque veterum scriptorum quisquam contradicat neque alia causa sit cur illi fidem non habeamus, mirum videri potest, quid sit quod de hac re quaestionem instituerimus. Sed quis ignorat, qui modo mediocriter quae res illo tempore gestae sint cognoscere studuit, hoc bello consiliis commutatis et ad subitos casus vel ad utilitatem accommodatis saepissime aliquid de exercitibus mutatum esse. Operae igitur videtur esse pretium inquirere, num eiusmodi quid hoc quoque anno factum sit.

Initium capiamus ex rebus Gallicis. De quibus Livius XXI, 26 haec narrat: *Qui tumultus* (Taneti obsidionem et seditionem militum dicit), *postquam est Romam perlatus et Punicum insuper Gallico bellum auctum patres acceperunt, C. Atilium praetorem cum una legione Romana et quinque milibus sociorum dilectu novo a consule conscriptis auxilium ferre Manlio iubent .... Et P. Cornelius in locum eius, quae missa cum praetore erat, transcripta legione nova .... Massiliam pervenit.* Contra ea Polybius III, 40 tradit:

Τοῖς δὲ ἐν τῇ Ῥώμῃ προσπεσόντος, ὅτι τὸ τέταρτον στρατόπεδον περιειλημμένον ὑπὸ τῶν Βοίων πολιορκεῖται κατὰ κράτος, τὰ μὲν τῷ Ποπλίῳ προκεχειρισμένα στρατόπεδα κατὰ σπουδὴν ἀπέστελλον ἐπὶ τὴν τούτων βοήθειαν, ἡγεμόνα συστήσαντες ἐξαπέλεκυν, ἄλλα δὲ συνάγειν καὶ καταγράφειν ἐκ τῶν συμμάχων αὐτῷ παρήγγειλαν. Dissentiunt igitur inter se scriptores clarissimi, qui eius temporis memoriam prodiderunt, et dissentiunt ita, ut eorum sententiae coniungi nullo modo posse videantur. Quae cum ita sint, Polybii sententia diligentius considerata examinare nos oportet, num quae postea gesta sunt in eam satis conveniant. Dupliciter autem Polybii locum interpretari possumus, aut ut censeamus diremtis inter se verbis eum significare, Cornelium legiones novas e civibus Romanis (συνάγειν), sociorum alas e sociis scribere (καταγράφειν ἐκ τῶν συμμάχων) iussum esse, aut ut statuamus totum exercitum vetere in Galliam misso e sociis solis scriptum esse, ita ut συνάγειν καὶ καταγράφειν sit ἓν διὰ δυοῖν. Quarum sententiarum quam secundo posuimus loco probari non potest, quod Romanorum morem nisi summis in angustiis non tulisse constat, ut ad bella gerenda exercitus e sociis solum deligerent. Qua in re non sum nescius biennio post patres vel eo descendisse, ut servos publice emptos armarent. Sed quae illa tempora fuerunt! Ut minora incommoda omittam tribus gravissimis cladibus res Romana erat afflicta, dimidia fere pars civium, qui quidem armis ferendis essent, bello erat absumpta, adeo erat aucta belli moles, ut patriae defendendae, provinciarum obtinendarum causa 17 legiones in armis esse oporteret. At etiam anno 200 a. Chr. praetores cum exercitibus e sociis conscriptis in provincias missi sunt. Audio, at fuerunt illi praetorum, non consulum exercitus, neque ad bellum, sed in regiones pacatissimas missi sunt. Eo vero tempore, de quo nunc agimus, quo biennio ante (Liv. ep. XX) censa civium capita 270213 erant, necdum rei publicae opes ulla clade erant accisae, quis sibi persuadeat, patres commisisse, ut praeter morem maiorum consulem e sociis sibi scribere exercitum iuberent, quocum bellum gereret adversus Hannibalem imperatorem tunc longe clarissimum. Quo accedit, quod Zonaras, quem Cassio Dione maxime in rebus gestis enarrandis auctore usum esse constat, (VIII, 23) de hoc anno 218 haec tradit: Διχῇ δὲ τὰς δυνάμεις οἱ Ῥωμαῖοι διελόντες καὶ τοὺς ὑπάτους Σεμπρώνιον μὲν Λόγγον ἐς Σικελίαν ἔπεμψαν, ἐς δὲ τὴν Ἰβηρίαν Σκιπίωνα Πούπλιον. Qui locus demonstrat, etiam Dionem narravisse, usitato more hoc anno exercitus consulares divisos esse, ita ut binas legiones Romanas iustas cum sociis suis uterque consul acciperet.

Quae si recte se habent, cum probasse mihi videar, eam sententiam, quam supra priore loco posueram et a consuetudine rei publicae Romanae et ab ipsa rerum natura et a probabilitate longissime recedere, restat ut quaeramus num altera aliquam veri similitudinem habere videatur. Quam ad rem expediendam necessitas nobis iniuncta est quae post consulum discessum gesta sint paucis illustrandi. Omnia enim in eo vertuntur, qui exercitus postea in Gallia fuerint, ut inde coniecturam facere possimus de numero militum Atilio duce in Galliam missorum. Itaque Atilio in Galliam misso consules in provincias profecti sunt. E quibus P. Cornelius, cum ad Rhodanum extremum tantum Poenorum agmen assecutus esset, iam haud ignarus quid Hannibal moliretur, Cn. Cornelio fratre legato in Hispaniam dimisso ipse cum admodum paucis in Galliam cisalpinam contendit. Ubi cum

ad Ticinum flumen male rem gessisset, patres Sempronium quam celerrime posset in Galliam exercitum adducere iusserunt, iam enim dubium non erat, quin maioribus copiis hosti obviam eundum esset. Atque Sempronius (Liv. XXI, 51) 25 naves ad agrum Vibonensem maritimamque Italiae oram tuendam reliquit et 50 navium classem Aemilio praetori explevit. Quas naves cum sine militum praesidio relinqui non potuisse consentaneum sit, videtur quaerendum esse, quot milites tunc in naves longas imponi soliti sint. Cuius rei tria exempla attulisse satis erit. Aliquot annis post in classe Siciliensi centum navium 2 legiones navales (8000 militum), in classe 50 navium contra Philippum missa 1 legionem navalem militasse, in 40 navibus anno 203 adornatis 3000 militum fuisse constat. Apparet igitur in singulis quinqueremibus praeter socios navales tunc septuagenos quinos vel octogenos milites*) fuisse, et Sempronium in navibus 6000 militum reliquisse. Quos e socium Latini nominis, non e legionum numero fuisse per se est verisimillimum. Primum enim cives Romanos militiam navalem detrectare solitos esse satis constat, deinde quis sibi persuadeat, consulem ad gravissimum bellum profecturum prope unam legionem reliquisse et sociorum opera uti maluisse?

Quae si recte a nobis disputata sunt, iam apparet Sempronium 2 legiones (8000 militum, 600 eq. R.), 10000 socium, 1800 eq. socium ad collegam adduxisse (20400 milites). Iis si addimus Manlii 19600 et, Polybium secuti, illos 24200 milites, qui exercitus primo Scipioni decretus erat, omnium militum, qui eo auctumno in Gallia pugnaverunt, summa conficitur 64200. Sed acquiescere in illo numero nullo modo possumus. Interfuerunt enim pugnae, quae paulo post Sempronii adventum ad Trebiam commissa est, si Polybio (III, 72) fidem habemus 40000, si Livio (XXI, 55) 42000 militum. Apparet igitur, si verum esset, quod Polybius tradit, Cornelii exercitum ab Atilio totum in Galliam perductum esse, 24000 militum vel certe 22000 ea aestate in Gallia aut capta aut occisa esse. Quae duobus maxime in proeliis caedi potuerunt, ad Ticinum et antea ad Mutinam. Fingamus, ad Ticinum, ubi ab equitibus potissimum pugnatum esse constat, equites ad unum omnes occidisse — erant autem 3600 — quamquam id credi non potest, addamus his aliquot velitum milia caesa, iam efficitur, 16000 vel 18000 militum ad Mutinam Manlio duce cecidisse. Adduxerat autem Manlius 19600 milites in Galliam; perspicuum est igitur, Taneti 3600 non plus reliquos esse potuisse. Illos ipsos autem, qui Taneti obsidebantur, appellat Polybius l. supra c. τὸ τέταρτον στρατόπεδον. Qua in re quam longe a veritate recedat vel potius quantum sibi ipse non constet, non est quod pluribus demonstrem. Etenim cum ex illis 3600 dimidiam partem ad summum Romanos fuisse verisimile sit, si Polybius verum traderet, ad summum 1800 Romani Taneti superfuissent, quos nemo recte legionem appellare potest.

*) In eam sententiam optime convenit, quod Livius (XXI. 50) tradit, Romanis ad Lilybaeum multitudinem militum, qui in navibus erant, animum auxisse, Karthaginiensibus paucitatem minuisse, ut arte, non vi rem gerere mallent; nam ut sociis navalibus affatim instructam classem, ita milite inopem habuisse, et sicubi conserta navis esset, haudquaquam parem numerum ex ea pugnavisse. Capti autem sunt in 7 navibus haud paucis interfectis 1700 milites et nautae. In alia classe 20 navium 1000 milites fuisse idem Livius (XXI, 49) memoriae prodidit, ut in singulis 50 fuerint armati Poenorum.

Restat nunc, quoniam labefactata est hac in causa Polybii fides, ut num Livii numeri melius ad res gestas conveniant inquiramus. Tradit autem ille, Manlium 19600 secum habuisse, Atilium 9700*) milites adduxisse. Adde illis 20400 Sempronii milites, et pervenies ad numerum 49700. Iam convenit ratio. Etenim cum ad Trebiam 42000 Rom. dimicaverint, 7700 summum ea aestate caesos esse apparet. E quibus si ad Ticinum 2000 occisa esse statuas, 5000**) Manlio duce ad Mutinam caesa esse constabit, quae dimidia fere legionis pars fuit. Praeterea quis tandem crediderit, patres maiorem quam qui antea ibi fuerat exercitum illuc misisse (Manlii autem exercitus 19600 militum, Cornelii 24200 militum fuerat), praesertim cum satis constaret, ducis magis temeritate et imprudentia quam militum aut culpa aut numero detrimentum illud acceptum esse.

Itaque cum id, quod Polybius narrat, in ipsius sententiam non conveniat, ii vero numeri, quos Livius affert, rebus postea gestis aptissimi sint, probabiliter confectum esse videtur, Livium hac in causa verum tradidisse et auctoribus usum esse, quibus maior fides habenda erat, quam iis, quos Polybius secutus est; id quod is certe non mirabitur, qui qua ille in exponendis illius temporis copiis versatus sit diligentia, ipse legendo et examinando perspexerit.

De copiis in Hispaniam missis Appianus (VI, 14) haec tradit: *Πούπλιον δὲ Κορνήλιον Σκιπίωνα ἔστελλον ἐς Ἰβηρίαν ἐπὶ νεῶν ἑξήκοντα μετὰ πεζῶν μυρίων καὶ ἱππέων ἑπτακοσίων.* Qui locus et Livii et Polybii auctoritati vehementer repugnat; illi enim consularem exercitum in Hispaniam missum esse tradunt; at decem milibus una legio non plus cum suis sociis expletur. Sed quamvis inter se dissentiant, tamen Appianus eundem quem Livius auctorem hac in causa videtur secutus esse, qui nisi fallor haec fere narrabat: Scipio scripta una legione cum 5000 soc. 400 eq. Roma profectus est. Haec vel similia cum uterque legisset, Appianus non meminerat, antea iam 2 legiones a consule scriptas, e quibus una in Galliam missa alteram reliquam fuisse. Quae ei causa erat erroris.

Sequitur nunc ut paucis verbis de Sicilia et Sardinia provinciis disseramus. His in provinciis iustos exercitus Romanos non fuisse et copiarum recensus a Livio institutus et hi eiusdem loci demonstrant XXI, 41: *Nec est alius ab tergo exercitus, qui, nisi nos vincimus, hosti obsistat, et* XXI, 53: *Quem tertium consulem, quem alium exercitum exspectari?* Tamen in utraque provincia iam anno 218 aliquot cohortes ex provincialibus scriptas oppidis praesidio fuisse, cum per se verisimile sit, tum ex his Livii verbis colligo XXII, 1: *Augebant metum prodigia ex pluribus simul locis nuntiata: in Sicilia mi-*

*) Livius quidem equites cum legione missos non scribit; sed inter omnes rei militaris Romanae peritos constat, numquam legiones sine iusto equitatu missas esse; praeterea verisimile est, in Galliae silvis equitum maxime Manlianorum accisum fuisse numerum. Itaque 300 eq. R. 400 eq. soc. i. e. iustum equitum numerum Manlio submissos esse sine dubitatione pro vero affirmaverim.

**) Iam perspicuum esse credo, lectionem „quingentos", quam Alschefskius in Liv. XXI, 25 in textum recepit, non solum in ea verba „multaque cum caede", quae paulo antecedunt, non convenire, sed etiam ita a rebus gestis abhorrere, ut ferri nullo modo possit. Sed quid legendum sit, virorum me doctiorum ingenio perscrutandum relinquo; 3000 certe illis „quingentis" addenda esse, cum altera proelii parte 700, omnino ad 5000 caesa sint. ex iis quae diximus satis apparet.

litibus aliquot spicula, in Sardinia autem in muro circumeunti vigilias equiti scipionem, quem manu tenuerat, arsisse. Praeterea Siciliam provinciam et militibus ex provincialibus scriptis et classis Sempronianae parte, quam Aemilius praetor ante Sempronii consulis adventum eo adduxerat, defensam esse ex Livio (XXI, 49—51) colligi potest.

Iam, ut quae modo disputavimus breviter complectamur et sub uno aspecto ponamus, e praetorum numero Terentio sine exercitu in Sardiniam proficiscendum erat, Aemilius, cui exercitus decretus non erat, quod consulum alter satis copiarum in Siciliam traducturus erat, cum classis parte, circiter 40 navibus, a Sempronio paulo post in provinciam praemissus est. Manlio sub idem fere tempus in Galliam profecto Atilius cum una legione et 5000 ped. soc. 400 eq. soc. e Cornelii consulis exercitu desumptis auxilio missus est. Quo facto Sempronius cum reliqua classe 120 navium reliquisque copiis in Siciliam abiit, Cornelius cum 60 navibus longis suoque exercitu, qui novo dilectu ad pristinum numerum completus erat, in Galliam transalpinam pervenit. Ibi cum Hannibalem impedire non potuisset, quin in Galliam cisalpinam contenderet, provincia omissa et exercitu Gnaeo fratri legato tradito, ut Hannibali ipse occurreret, cum admodum paucis in Galliam cisalpinam properavit. Itaque Cn. Cornelius 2 leg., 14000 ped. soc., 1600 eq., 60 naves longas in Hispaniam perduxit. Ac ne Sempronius quidem alter consul in provinciam, quae sorte ei evenerat, Africam pervenit. Melita enim insula recepta, quae res in Gallia gererentur certior factus, 75 navibus cum 6000 militum e sociorum numero ad Siciliam et ad Viboniensem agrum tuendum relictis cum 2 leg., 10000 ped. soc., 1600 eq. soc. Ariminum pervenit. Quo facto, cum coniunctae essent consulum copiae, ad 49000 militum Hannibali obviam iverunt. Sed de his hactenus.

Pugnae ad Trebiam commissae Polybius (III, 72), 20000 ped. soc., 4000 eq., 16000 ped. Rom., Livius (XXI, 55) praeter eundem sociorum et equitum numerum 18000 ped. Rom. interfuisse narrat. Quorum uter verum traderet inquirenti iterum Livius cui fides haberetur dignior visus mihi est. Polybius enim in suam sententiam ea maxime re videtur adductus esse, quod duo consulares exercitus coniunctos ibi fuisse vidit. Sunt enim haec eius verba: *Τὸ γὰρ τέλειον στρατόπεδον παρ᾽ αὐτοῖς πρὸς τὰς ὁλοσχερεῖς ἐπιβολὰς ἐκ τοσούτων ἀνδρῶν ἐστιν, ὅταν ὁμοῦ τοὺς ὑπάτους ἑκατέρους οἱ καιροὶ συνάγωσι.* Sed rationem non habuit, illos non usitato more scriptos et in aciem esse ductos, sed alterum trium legionum reliquias fuisse, non iustas ab initio duas. Ad 11000 militum in illa pugna caesa esse inde colligo, quod anno insequenti 31000 de consulum exercitu superfuerunt. Orosio quominus credamus, qui (IV, 14) Sempronium amisso exercitu paene solum ex acie evasisse narrat, obstant hi veterum scriptorum loci: Liv. XXI, 56: *Quietis Poenis tacito agmine ab Scipione consule exercitus Placentiam est perductus, inde Pado traiectus Cremonam, ne duorum exercituum hibernis una colonia premeretur;* Liv. XXI, 59; Polyb. III, 75: *Ὁ δὲ Τιβέριος, εἰδὼς μὲν τὰ συμβεβηκότα, βουλόμενος δὲ κατὰ δύναμιν ἐπικρύπτεσθαι τοὺς ἐν τῇ Ῥώμῃ τὸ γεγονός, ἔπεμψε τοὺς ἀπαγγελοῦντας, ὅτι, μάχης γενομένης, τὴν νίκην αὐτῶν ὁ χειμὼν ἀφείλετο*, et prae ceteris Liv. XXIII, 43: *Si Trasumenni quam Trebiae, si Cannarum quam Trasumenni pugna nobilior esset, Cannarum se quoque memoriam obscuram maiore et clariore victoria facturum* (Hannibal ait), cf. 48 et XXIV, 8.

2*

Sequitur ut de quaestoribus paucis verbis disserendum esse videatur, cum Livius eorum nominibus allatis in cuiusnam exercitu illi versati sint non addat. Attamen dubium non est, quin P. Cornelius, cui alterum quaestorem fuisse aliquis suspicari possit, exercitu Gnaeo fratri tradito, quaestorem apud illum exercitum remanere iusserit, quippe qui in illis regionibus, quas petebat, quaestorem iam esse haud ignoraret. C. Atilius vero eadem de causa auxilia L. Manlio adducturus quaestorem secum habuisse non videtur, cuius opera non egebat. Errat igitur Pighius, qui illos Manlii et Atilii quaestores esse affirmat: certe, si Atilio utique quaestorem fuisse statuas, equidem non video, quid in mora sit, quominus Atilii et Sempronii quaestores illi dicantur. Immo vero Sempronius tantum et Manlius, vel si ita mavis, exercitu eius accepto Cornelius, quaestores in exercitu habuerunt, qui ambo post proelium ad Trebiam commissum per agros palantes a Liguribus intercepti Hannibali postea traditi sunt, quo magis rata societas esset.

Iam eo pervenimus, ut ostendamus, quibus causis adducti hoc anno Q. Claudium tribunum plebis fuisse non putemus. Qua in causa cum per se apertum sit, verba illa (Liv. XXI, 63) „novam legem" late patere, id quod iam Drakenborchius animadvertit, neque ex reliquis illius loci verbis colligi possit, legem illam hoc anno latam esse, tum legis verba ea sunt, ut vix quisquam dubitare possit, quin summa pace, non bello gravissimo exorto lata sit. Cavebatur autem lege Claudia, ne quis senator cuive senator pater fuisset maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id enim satis habitum ad fructus ex agris vectandos: quaestus omnis patribus indecorus visus. Sed quis tandem senatorum, quaeso, illo anno de navibus maritimis exornandis, quaestu mari faciendo cogitaverit, cum Poeni in ipsam Italiam exscensiones facerent (Liv. XXI, 49—51). Immo lex illa Claudia tantopere pacem redolet, ut vix Cornelio et Sempronio consulibus lata esse videatur. Neque tamen recusare possumus, quin existimes, ante Id. Mart. anni 218 M. Livio L. Aemilio etiamtum consulibus, vel anno 217 exeunte, cum nondum de bello inferendo aperte ageretur, Q. Claudium statim postquam magistratum inierit legem tulisse. Tribuni enim inibant magistratum a. d. IV Id. Dec. Sed ne illud quidem certis argumentis probare potueris.

Iam restat ut nominum, quae in tabulis supra posuimus, ordinem usque ad hunc locum secuti indicemus, quibus tandem causis adducti C. Lutatium, C. Servilium, M. Annium triumviros agro assignando fuisse statuamus, cum Livius ipse de iis dubitaverit. Lutatii enim, ille ait, nomen haud dubium esse: pro C. Servilio et M. Annio Q. Acilium et C. Herennium habere quosdam annales; alios P. Cornelium Asinam et C. Papirium Masonem. Quam causam paucis absolvere licet. Etenim cum illorum, quos supra attuli, locorum ratione habita nec de Lutatio nec de Servilio dubitari possit, quid est quod in ratione nostra reprehendatur, si eos annales, qui duos viros recte nominaverint, ne in tertio quidem falsos esse credamus. Quo accedit, quod alteros, quos secundo loco posuit Livius, ipsa illa nominum Annii et Herennii similitudo admodum suspectos reddit, alteros vero e triumvirorum Cremonam (non Placentiam) coloniae deducendae numero fuisse haud absurde aliquis coniiciat, ita ut priora illa tria nomina si non munita certa ratione, at probabiliter defensa a nobis videantur.

Annus urbis conditae 537, ante Christum natum 217.

CONSULES.

Cn. Servilius P. f. Q. n. Geminus Ariminum provinciam cum 2 legionibus novis I et IV[a] sortitus post pugnam ad Trasumennum lacum commissam exercitu Fabio dictatori tradito cum 120 quinqueremibus in Africam transmisit, unde multa caede in naves compulsus exercitui suo, quam antea Fabio tradiderat, in Samnio praefuit (Liv. XXII, 1; 9; 11; 31; 32; Polyb. III, 77; 86; 96; Zon. VIII, 25; App. VII, 8).

C. Flaminius C. f. L. n. II, quattuor legionum consularium reliquiis, quae ad Padum hibernabant, acceptis in magistratu in proelio occisus est. (Liv. XXI, 63; XXII, 4—6; App. VII, 8; Orosius IV, 15; Eutrop. III, 9; Val. Max. I, 6, 6; Cic. de div. I, 35; Polyb. III, 77; 80—85). In eius locum suffectus est

M. Atilius M. f. M. n. Regulus II, qui duabus legionibus a Fabio dictatore acceptis II et III[a] hibernis in Samnio communitis praefuit (Liv. XXII, 25; 32).

PRODICTATOR A POPULO CREATUS.

Q. Fabius Q. f. Q. n. Maximus Verrucossus Cunctator cum 4 leg., paulo post aequato magistri et dictatoris iure cum 2 legionibus II et III[a] bellum adversus Hannibalem gessit (Liv. XXII, 8—31; Polyb. III, 88—106; Lyd. de mag. I, 38).

MAGISTER EQUITUM.

M. Minucius L. f. C. n. Rufus (c. leg. I et IV[a]).

DICTATOR COMITIORUM HABENDORUM CAUSA.

L. Veturius L. f. Post. n. Philo (Liv. XXII, 33).

MAGISTER EQUITUM.

M'. Pomponius M'. f. M'. n. Matho.

INTERREGES.

C. Claudius Appii f. Cento, P. Cornelius Asina L. Veturio M'. Pomponio vitio creatis et post diem 14[um] se magistratu abdicare iussis a patribus interreges proditi sunt (Liv. XXII, 34).

PRAETORES.

M. Aemilius iurisdictionem inter cives sortitus post cladem Trasumennam 2 leg. urbanis praefuit (Liv. XXII, 9; 33).

M. Pomponius Matho provinciam peregrinam sortitus est.

T. Otacilius Crassus Siciliam provinciam cum 50 quinqueremibus et 2 leg. novis sortitus est.

A. Cornelius Mammula Sardiniam prov. cum 2 leg. 30 navibus sortitus est.

AEDILES CURULES.

Ap. Claudius Pulcher (Liv. XXII, 53) unus commemoratur.

TRIBUNI PLEBIS.

M. Caecilius Metellus legem de aequando magistri equitum et dictatoris iure tulit (Liv. XXII, 25).

QUAESTORES.

Sempronius Blaesus Servilii consulis (Liv. XXII, 31).

PROCONSULES.

P. Cornelius Scipio imperio prorogato cum 8000 militum et 30 navibus longis in Hispaniam provinciam missus mari res gessit (Liv. XXII, 22; Appian. VI, 15; VII, 8; Polyb. III, 97).

Cn. Cornelius Scipio cum imperio proconsulari terra bellum gessit in Hispania cum 2 legionibus anno 218 scriptis (Polyb. III, 97).

LEGATI.

Q. Fulvius Flaccus Servilii consulis (Liv. XXII, 12).

C. Centenius legatus propraetore Servilii consulis (Liv. XXII, 8; Pol. III, 86; Corn. Nep. Hann. 4).

C. Terentius Varro, L. Aemilius Paulus, M'. Pomponius Matho, P. Furius Philus, M. Claudius Marcellus, L. Postumius Albinus absentes insequenti anno consules et praetores creati sunt. Itaque cum nemini fere absenti, nisi iusta causa impediebatur, magistratum petere liceret, in legatorum numerum inserere illos non dubitavi. Veri enim non est simile eos, qui omnes iam antea praetura functi erant, alium ac legatorum gradum obtinuisse (Liv. XXII, 35).

P. Sura Otacilii praetoris (Liv. XXII, 31).

PRAEFECTUS EQUITUM SOCIORUM.

L. Hostilius Mancinus in Q. Fabii exercitu (Liv. XXII, 15).

MILES GREGARIUS.

M. Porcius Cato 17 annorum adolescens (Nep. Cato 1; Plut. Cato maior 1; Liv. epit. XLI; Cic. de sen. 5; Brut. 15; 20).

SENATORES.

Q. Terentius, M. Antistius (Liv. XXI, 63).

DUUMVIRI AEDI CONCORDIAE LOCANDAE.

Cn. Pupius, Caeso Quinctius Flamininus (Liv. XXII, 33):

PONTIFICES, DECEMVIRI, AUGURES, FLAMINES, REX SACRORUM, CURIO MAXIMUS iidem sunt qui anno 218.

EXPLICATIONES.

Anno 217 a. Chr. Cn. Servilius Romae C. Flaminius Arimini in provincia, bellum cum Hannibale gerendum in Gallia et in Etruria sortiti, Idibus Martiis consulatum inierunt (Liv. XXI, 63; XXII, 1). E praetorum collegio M. Aemilio iurisdictionem inter cives evenisse memoriae prodidit Livius (XXII, 33; XXVII, 33). Sardiniam et Siciliam provincias in sortem esse coniectas colligimus ex Liv. XXII, 25: *Duos praetores Sicilia atque Sardinia occupatos, quorum neutra hoc tempore praetore egeat.* Itaque cum insequenti anno 216 A. Cornelius Mammula propraetor prorogato imperio fuerit in Sardinia (Liv. XXIII, 21), sequitur ut anno 217 praetor eo missus sit. T. Otacilium Crassum autem non solum anno 216 Siciliae provinciae propraetorem praefuisse Livius l. l. tradit, sed etiam ab eodem „praetor“ hoc ipso anno (XXII, 31) in Sicilia versatus esse dicitur. Reliquum est, ut de quarto praetore quid statuendum sit exploremus. M. Pomponium praetorem hoc anno fuisse Livius (XXII, 7) narrat, ita tamen, ut quae ei sors evenerit non tradat. Sed probabiliter id confici potest. Nam cum in Gallia bellum non gesserit (Cn. Servilio consule illas regiones compescente, Liv. XXII, 9) reliqua tantum illi iurisdictio inter cives et peregrinos est. Neque id repugnat, quod Pomponius (Liv. XXII, 7), dum praetor urbanus senatum habet, e curia egressus populo in comitium et in curiam verso nuntiavit, proelio magno consulem ad Trasumennum lacum victum esse. Convenit quoque in eam rem quod paulo infra idem Livius narrat, praetores senatum per dies aliquot ab orto usque ad occidentem solem in curia retinuisse consultantes, quonam duce aut quibus copiis resisti victoribus Poenis posset. Nam quamquam non sum nescius, T. Otacilium praetorem etiam tunc Romae fuisse, tamen non dubium esse credo, quin hoc loco Livius praetorem urbanum et eius collegam, quorum Roma provincia fuerit, non eum, cui Sicilia evenerat, significaverit. Itaque haec summa commentationis nostrae est, M. Aemilium iurisdictionem inter cives, M. Pomponium Mathonem inter cives et peregrinos, T. Otacilium Crassum Siciliam, A. Cornelium Mammulam Sardiniam provincias sortitos esse.

Quae copiae eo anno consulibus et praetoribus decretae sint, cum hac de re Polybius et Livius plurimum inter se discrepent difficillima quaestio est. Livii enim verba haec sunt (XXI, 63): *Consulum designatorum alter Flaminius, cui hae legiones, quae Placentiae hibernabant, sorte evenerant, edictum et litteras ad consulem* (Sempronium) *misit, ut is exercitus Idibus Martiis Arimini adesset in castris; huic in provincia consulatum inire consilium erat .... Legionibus inde duabus a Sempronio prioris anni consule, duabus a C. Atilio praetore acceptis in Etruriam per Apennini tramites exercitus duci coeptus est.* XXII, 1: *Cn. Servilius consul Romae Idibus Martiis magistratum iniit.* XXII, 2: *Dum consul placandis Romae dis habendoque dilectu dat operam, Hannibal profectus ex hibernis, quia iam Flaminium consulem Arretium pervenisse fama erat, cum aliud longius, ceterum commodius ostenderetur iter, propiorem viam per paludes petit.* Polybius contra sic habet (III, 75): *Γνάιος δὲ Σερουίλιος καὶ Γάιος Φλαμίνιος, οἵπερ ἔτυχον ὕπατοι τότε καθεσταμένοι, συνῆγον τοὺς συμμάχους καὶ κατέγραφον τὰ παρ' αὐτοῖς στρατόπεδα.*

παρῆγον δὲ καὶ τὰς ἀγοράς, τὰς μὲν εἰς Ἀρίμινον, τὰς δ' εἰς Τυῤῥηνίαν, ὡς ἐπὶ τούτοις ποιησόμενοι τοῖς τόποις τὴν ἔξοδον. ἔπεμψαν δὲ καὶ πρὸς Ἱέρωνα περὶ βοηθείας· ὃς καὶ πεντακοσίους αὐτοῖς ἐξαπέστειλε Κρῆτας καὶ χιλίους πελτοφόρους. III, 77: *Ἐνισταμένης δὲ τῆς ἐαρινῆς ὥρας Γάιος μὲν Φλαμίνιος ἀναλαβὼν τὰς αὑτοῦ δυνάμεις, προῆγε διὰ Τυῤῥηνίας, καὶ κατεστρατοπέδευσε διὰ τῆς τῶν Ἀῤῥητίνων πόλεως, Γνάιος δὲ Σερουΐλιος τοὔμπαλιν ὡς ἐπ' Ἀριμίνου, ταύτῃ παρατηρήσων τὴν εἰσβολὴν τῶν ὑπεναντίων.* Quem secutus est App. VII, 8.

Quae sententiae cum coniungi nulla ratione possint, nihil aliud restat, nisi ut veritatem omnino desperemus aut ut eam sententiam sequamur, quae aestimatione ex rerum argumentique veritate facta magis nobis probetur. Qua in re non est quod diu haereamus. Quoniam enim Livius tam diligenter totam causam describit, ut non solum tradat, cur in senatus auctoritate esse Flaminius noluerit, quid egerit, ut eum inauspicato in provinciam profectum Romam reduceret, sed etiam nomina eorum afferat, qui Flaminio Romam ut rediret persuadere iussi essent, dubitari non potest, quin praeter Polybium, quem plerumque sequitur, huius quidem rei alii auctores ei fuerint. Quis enim sibi persuadeat Livium id commissurum fuisse ut sententiam aliquam proferret, quae tantopere cum Polybio pugnaret, nisi certa causa ab illius sententia recedere coactus esset. Huc accedit, quod facillimum est ad explicandum, unde Polybio erroris causa enata sit. An non perspicuum est, eum illa verba scripsisse, quod invenerat Flaminium in Etruria, Servilium in Gallia bellum gessisse? Sed iam satis probavisse videmur Polybii auctoritati, quam magnam esse minime negamus, obstare maiorem Livii. Itaque in eo acquiescendum ratus recte contendere mihi videor, Flaminium in provincia, Servilium Romae magistratum iniisse, Flaminium legionum consularium reliquias Arimini acceptas Arretium perduxisse, Servilium in earum locum duas novas Roma Ariminum adduxisse.

Sed quae modo contra Polybii auctoritatem disputavimus in mora non sunt, quominus aliis in rebus, de quibus verum tradidisse videatur, iustis laudibus eum prosequamur. In earum numero illum locum habuerim, ubi ab Hierone Romanis 1500 Cretenses et levis armaturae milites missos esse dicit, qui multum valet ad intelligenda haec Livii verba (XXIV, 30): *Prima forte signa 600 Cretensium erant, qui apud Hieronymum meruerant sub eis et Hannibalis beneficium habebant, capti ad Trasumennum inter Romanorum auxilia dimissique,* quibus in verbis aut explicandis aut corrigendis mirum in modum Glareanus, Drakenborchius alii docti se torserunt. Equidem Polybio in partes vocato nihil corrigendum esse contra omnium codicum auctoritatem existimaverim. Immo vero Polybii et Livii illis locis in eam inducimur sententiam, ut putemus quamquam Livius (XXII, 37) post pugnam Trasumennam id factum esse scribit, Hieronem regem de Romanorum clade ad Trebiam accepta mense Ianuario certiorem factum statim iuvandi socios consilio capto frumenti maximam vim, Victoriam auream ominis causa, auxilia cum classe Romam misisse eamque legationem Martio mense, id est anno 217 ineunte non exeunte Ostiam pervenisse.

Quae si recte se habent, hoc fere modo res gestae sunt. Flaminius quattuor vel quinque legionum, quae priore anno scriptae erant, reliquiis Arimini acceptis, assumptis quoque illis 1500 militibus, quos Hiero auxilio miserat, iustum consularem 31000 mi-

litum exercitum effecit, quo tempore Servilius consul dilectu Romae habito alterum exercitum scripsit. Suspicatus deinde, Hannibalem per Etruriam iter facturum, Flaminius legiones ab Arimino Arretium adduxit. Neque fefellit eum opinio. Nam Hannibal haud ignarus, Flaminium Sempronii quam Scipionis similiorem esse, hominem temerarium, ad rem gerendam promptum, exercitu per Arni paludes summo cum periculo perducto agros, qui sunt inter Cortonam urbem et lacum Trasumennum, omni clade pervastando id egit, ut Flaminium ira obcaecatum in locum pugnando iniquum alliceret, priusquam collega ei adiungeretur, qui interea in Gallia bellum gerebat; id quod illi contigit. Facta est pugna ad Trasumennum lacum; in qua caesa est cum consule maxima exercitus pars. Huic pugnae ad 31000 militum Rom. interfuisse summo consensu, sed diversa ratione omnes scriptores tradunt. Livius enim (XXII, 7) 15000 Rom. caesa, 6000 capta esse, 10000 sparsa fuga per diversa itinera Romam petiisse narrat. Polyb. III, 84; 85 ita dissentit, ut 15000 caesa, 15000 capta esse tradat. Appianus (VII, 10) 20000 caesa, 10000 capta, Orosius (IV, 15) 25000 caesa, 6000 capta esse refert. Sed utcunque se haec habent, novus certe in eius exercitus locum scriptus est.

Eam pugnam commissam esse a. d. IX Kal. Iul. Ovidius in fastorum libro VI, qui liber mensem Iunium continet, verss. 763—768 memoriae prodidit his verbis:

> Non ego te, quamvis properabis vincere, Caesar,
> Si vetet auspicium, signa movere velim.
> Sint tibi Flaminius Trasimenaque littora testes,
> Per volucres aequos multa monere deos.
> Tempora si veteris quaeris temeraria damni,
> Quartus ab extremo mense bis ille dies.

Quod mirum in modum pugnat cum Liv. XXII, 31; 32: *Ipse* (Servilius) *per Siciliam pedibus profectus freto in Italiam traiecit, litteris Q. Fabii accitus et ipse et collega eius M. Atilius, ut exercitus ab se exacto iam prope semenstri imperio acciperent. — Consules hibernaculis mature communitis — extremum*) enim autumni erat — Fabii artibus bellum gesserunt.* Hiemis enim initium vel autumni extremum in ineuntem Novembrem mensem incidit (Ideler Handbuch der Chronologie II, 143). Itaque cum Fabius prope sex menses imperium obtinuisse dicatur, necessario ex Livii illis locis cogitur, eum Maio mense ineunte (kalendarii Iuliani) prodictatorem creatum esse. Apparet, iam tunc fastos per intercalandi licentiam vehementer perturbatos fuisse; nam Ovidio cur fidem non habeamus, nulla omnino causa est, praesertim cum insequenti quoque anno simillimum eius perturbationis exemplum occurrat. Apud Macrobium enim haec leguntur verba (Saturn. I, 16): *Q. Claudius annalium quinto cladem illam vastissimam pugnae Cannensis factam refert a. d. IV Nonas Sextiles.* Polybius contra (III, 118) haec dicit: *Διόπερ ἡμεῖς ταύτην μὲν τὴν βίβλον ἐπὶ τούτων τῶν ἔργων κατα-*

*) „Medium", quod hoc loco W. Weissenbornius legendum esse censuit, admitti non posse inde cognoscitur, quod, si medio autumno Fabius dictatura se abdicasset, medio Martio mense creatus esset (autumni enim aequinoctium in a. d VIII Kal. Oct. kalendarii Iuliani cadit). Id vero neque cum rebus eo anno gestis neque cum Ovidii illo quem supra laudavimus loco coniungi posse apertum est. Immo vero „extremum" cum Alschefskio legendum erit.

στρέψομεν, ἃ περιέλαβεν Ἰβηρικῶν καὶ τῶν Ἰταλικῶν ἡ τετταρακοστὴ πρὸς ταῖς ἑκατὸν ὀλυμπιάσι δηλώσαντες. Olympiades autem Kal. Quint. kalendarii Iuliani incipere Ideler in libro supra laudato docet (I, 377). Itaque cum dubitari non possit, quin pugna Cannensis a. d. IV Nonas Sextiles commissa sit, Polybius vero ante Kal. Quint. eam factam esse significet, haec scriptorum dissensio confirmat, dies his temporibus constitutos ita non convenire in dies kalendarii Iuliani, ut circiter 40 vel 50 dierum discrimen inter eos intercedat.

Iam quae in ceteras provincias copiae missae sint, inquirendum est. Atque missus est P. Cornelius Scipio cum 8000 militum supplemento in Hispaniam, ut ibi integrae 2 leg. bellum gererent. (Liv. XXII, 22). De ceteris provinciis narrat Polyb. III, 75: *Περὶ τὰς λοιπὰς παρασκευὰς διαφερόντως ἐγίγνοντο καὶ περὶ φυλακὴν τῶν προκειμένων τόπων, πέμποντες εἰς Σαρδόνα καὶ Σικελίαν στρατόπεδα, πρὸς δὲ τούτοις εἰς Τάραντα προφυλακὰς καὶ τῶν ἄλλων τόπων εἰς τοὺς εὐκαίρους· παρεσκεύασαν δὲ καὶ ναῦς ἑξήκοντα πεντήρεις.* Appian. VII, 8 de eadem re sic habet: *Οἱ δ' ἐν ἄστει Ῥωμαῖοι ... στρατιάν τε παρ' αὐτῶν ἄλλην κατέλεγον, σὺν τοῖς οὖσι περὶ τὸν Πάδον ὡς εἶναι τρισκαίδεκα τέλη, καὶ τοῖς συμμάχοις ἑτέραν διπλασίονα ταύτης ἐπήγγελλον .... καὶ τούτων (τῶν στρατιωτῶν) τοὺς μὲν ἐς Ἰβηρίαν ἔπεμπον, τοὺς δ' ἐς Σαρδόνα κἀκείνην πολεμουμένην· τοὺς δ' ἐς Σικελίαν. τὰ πλέονα δ' ἦγον ἐπὶ τὸν Ἀννίβαν ...* Ex his locis apparet, Tarentum eo anno non iustam legionem, sed praesidium tantum missum esse (*προφυλακάς*), quamquam mirum videri id potest, cum anno 225 bello Gallico unam legionem oppido praesidio fuisse Polybius II, 24 tradat, quo tempore Tarento minus periculi a Gallis, longinquo admodum hoste, quam hoc anno a Poenis infesta prope omnia maritima loca reddentibus imminebat. In Siciliam legiones missas esse refert Polybius (l. c.); duas eas fuisse perspicue cognoscimus, quod anno insequenti duae legiones inde in Italiam reportantur. Multo difficilior est quaestio de Sardinia insula; nam Polybius de legionum numero tacet, neque insequenti anno quicquam gestum est, ex quo de ea re coniecturam capere possimus. De anno 215 demum Livius XXIII, 34 narrat, exercitum ibi ut satis firmum pacatae provinciae praesidium fuisse, ita parum bello, quod immineret et a Sardis et a Poenis. De quibus rebus certiores factos patres decrevisse, ut Q. Fulvius Flaccus 5000 ped., 400 eq. scriberet eamque legionem primo quoque tempore in Sardiniam traiiciendam curaret. Aliquanto infra (in cap. 40) haec leguntur verba: *Manlius navibus longis ad Carales subductis navalibusque sociis armatis ut terra rem gereret, et a praetore exercitu accepto 22000 peditum, 1200 equites confecit.* Fac iam in classe, quam 30 navium longarum et aliquot onerariarum fuisse infra probabimus, 9000 soc. nav. fuisse, fac porro omnes armatos esse, quamquam vix credibile id est, pervenies ad 8000 ped., 800 eq., qui ante Manlii adventum in Sardinia fuisse videantur. Quid vero? Illis numeris adducti anno 217 unam legionem in Sardiniam missam esse existimemus? An tum homines non moriebantur? bello non plures quam pace? non caedebantur? vulneribus acceptis ad arma ferenda invalidi non fiebant? Immo in ipsa illa Sardinia caeli et aquarum gravitatem Romanorum valetudini nequaquam salutarem fuisse ex Livio (cap. 34) facile possumus colligere. Non dubitamus igitur statuere, anno 217 duas in Sardiniam legiones traductas esse et redactas esse eas biennio et belli incom-

modis et caeli gravitate eo, ut 8000 ped., 800 equit. superessent. In quos numeros optime hi Livii verba quadrant (XXIII, 32): Poenis *Sardiniae recipiendae repentina spes adfulsit; parvum ibi exercitum Romanum esse.* Non afferrem hunc locum, vox enim „parvus“ late patet, nisi iis verbis, quae paulo infra et supra leguntur, doceremur, quantae adversus hunc parvum exercitum copiae missae essent. Missus est Hasdrubal cum 12000 ped., 1500 eq., 60 navibus; quem numerum Karthaginienses in Sardiniam non decrevissent, cum eodem tempore Magonem cum pari exercitu in Hispaniam mitterent, si aliquanto minus copiarum Romani habuissent; cum Sardis enim Hasdrubali certamen non fore perspiciebant, quos ipsorum rebus favere allatum erat. Deinde id quoque meae sententiae pro documento est, quod Appianus (l. l.) 13 legiones scriptas fuisse narrat, quamquam in eo errat, quod iam initio anni his 13 legionibus bellum gestum esse scribit. Is enim numerus expleri non potest, nisi duas in Sardinia fuisse legiones statuas.

Itaque anno ineunte 7 legionibus novis scriptis binae Ariminum, in Siciliam, in Sardiniam missae sunt, una ita in varia loca praesidii causa distributa est, ut maior pars Tarentum mitteretur; Hispanienses legiones duas 8000 militum supplemento completas Cn. Cornelius retinuit, consularis exercitus reliquias Flaminius in 2 legiones coactas in Etruriam perduxit. Itaque ineunte anno omnino 11 legiones in armis fuerunt.

Haec sunt quae anno ineunte senatus de exercitibus decreverat. Postea Flaminii exercitu ad Trasumennum lacum magna ex parte caeso et 4000 *) eq., qui Centenio duce a Servilio paulo post ad collegam missi erant, aut caesis aut captis (Liv. XXII, 8; Polyb. III, 86; Zonar. VIII, 25) in eorum locum a Fabio dictatore novus exercitus scriptus est. Qui quot legiones habuerit inter Polybium et Livium non convenit. Polyb. enim III, 88 *Ἐν ᾧ καιρῷ*, inquit, *καὶ Φάβιος ... ἐξώρμησε μετὰ τοῦ συνάρχοντος καὶ τῶν ἐκ τοῦ καιροῦ καταγραφέντων τεττάρων στρατοπέδων. συμμίξας δὲ ταῖς ἀπ' Ἀριμίνου βοηθούσαις δυνάμεσι Γνάιον* (Servilium) ... *ἐξαπέστειλε Ῥώμην.* Livius contra, quem Plutarchus in Fabii vita secutus est auctorem, XXII, 11 et 27 haec tradit: *Fabius duas se legiones adiecturum ad Servilianum exercitum dixit: iis per magistrum equitum scriptis Tibur diem ad conveniendum edixit. — Ita* (Fabius) *obtinuit ut legiones sic ut consulibus mos esset, inter se dividerent: prima et quarta Minucio, secunda et tertia Fabio evenerunt.* Quae dissensio explicari facile potest. Polybius enim in libris, quibus utebatur, invenerat post pugnam Trasumennam scriptas esse quattuor novas legiones. Quos secutus Fabium cum his legionibus Roma profectum cum Servilianis se coniunxisse narravit. Neque ii quos Livius secutus est auctores de quattuor legionibus dissenserunt, sed additum erat in aliquot libris, quibus utebatur, ex illis legionibus duas cum Fabio in Campaniam profectas, duas urbi praesidio relictas esse; id quod colligi potest ex Livii verbis, quae infra leguntur in eodem capite: *Magna vis hominum conscripta Romae erat: ex hoc urbano exercitu qui minores quinque et triginta annis erant, in naves impositi, alii ut urbi praesiderent, relicti.*

*) Appianus (VII, 9) Centenium cum 8000 militum Roma, non Arimino profectum ad 4000 amisisse narrat; quod tantopere cum reliquorum scriptorum testimoniis pugnat, ut vix fidem ei habere possis.

Iam vero quomodo hoc anno naves distributae sint videtur quaerendum esse. Anno ineunte 60 quinqueremes novas deductas esse Polybius III, 75 narrat. Quibus si addimus naves, quae superiore anno instructae erant, apparet 280 navibus longis Romanos hoc anno bellum gessisse. Ex his Servilium consulem cum 120 navibus a Fabio dictatore Italiae littora tutari iussum esse, si quid Karthaginienses mari molirentur, apertum est ex Livio XXII, 11; Polyb. III, 88. Effecta autem haec classis est ex 25 illis navibus, quae agro Viboniensi praesidio relictae erant, et ex 85, quas Sempronius consul priore anno Romam remiserat, et ex 10 novis. De Siciliensi classe 50 navium hoc anno nihil mutatum esse indicat Livius, qui XXII, 37 narrat, anno 216 ad pristinum navium numerum 25 additas esse. In Hispaniam P. Cornelium proconsulem cum 20 navibus missum esse Polybius (III, 97) tradit, Livius (XXII, 22) 30 naves eas fuisse narrat. Quae dissensio ita videtur tolli posse, ut statuamus anno ineunte Cn. Cornelium legatorum aliquem cum 10 navibus ex Hispania Romam misisse, qui senatum de provinciae statu edoceret. Ita enim et Polybius recte scribere potuit, patres P. Cornelio viginti novas naves decrevisse, et Livius, cum triginta navibus eum in provinciam profectum esse. Quae si recte se habent, ad Hispaniam 80 navibus, inter quas 20 novae erant, mari bellum gestum est. Reliquae iam sunt ex 280 navibus, quibus hoc anno pugnatum esse diximus, 30, quas in Sardiniam missas esse credo. Nam legiones in insulam sine longarum navium praesidio missas esse verisimile non est; praeterea anno insequenti classem illis in regionibus fuisse ex his Livii (XXIII, 21) verbis effici potest: *Responsum utrisque* (Mammulae in Sardinia, Otacilio in Sicilia stipendium et commeatum postulantibus) *non esse unde mitteretur: iussique ipsi classibus atque exercitibus consulere.* Itaque 280 quinqueremibus, 12 legionibus, vel si praesidia illa, quae Polybius l. l. commemorat, unam legionem effecisse statuas, 13 legionibus bellum post proelium Trasumennum gestum est *).

De reliquis viris, quos in tabulis supra posui, cum addendum nihil sit, nisi, quod per se perspicuum est, Metellum a. d. IV Id. Dec. anni 218 magistratum iniisse, quippe qui medio anno 217 legem suam ferret, iam ad insequentem annum pergamus.

Annus urbis conditae 538, ante Christum natum 216.

CONSULES.

L. Aemilius M. f. M. n. Paulus II. In magistratu occisus est, suffectus nemo.

C. Terentius C. f. M. n. Varro. Bellum cum Hannibale in Apulia provincia gerendum cum quaternis legionibus utrique consuli obvenit. Quibus legionibus ad Cannas foede caesis Terentius duas novas scripsit. (Polyb. III, 106—118; Plut. Fab. Max.

*) In hac quoque re Appianus errare videtur. Non enim ineunte, sed medio demum et exeunte anno 13 legiones in armis fuisse ratione inita evicisse nobis videmur.

14—19; App. VII, 17—28; Zonar. IX, 1; Oros. IV, 16; Eutrop, III, 5; Nepos Hann. 4; Front. strat. IV, 1, 4; Val. Max. III, 4, 4; Liv. XXII, 35).

DICTATOR REI GERENDAE CAUSA.

M. Iunius D. f. D. n. Pera (Liv. XXII, 57).

MAGISTER EQUITUM.

Tib. Sempronius Tib. f. Tib. n. Gracchus. Post proelium Cannense cum 2 leg. urbanis anno ineunte scriptis, 8000 servorum, 6000 eorum qui capitalis fraudis vel pecuniae iudicati erant, aliquot socium cohortibus, ut universi 25000 essent, ab urbe Teanum profectus cum dictatore est (Liv. XXIII, 14).

DICTATOR SENATUS LEGENDI CAUSA.

M. Fabius M. f. M. n. Buteo ex senatus consulto sine magistro equitum a C. Terentio consule dictus 177 viros in senatum legit (Liv. XXIII, 22; 23).

PRAETORES.

P. Furius Philus iurisdictionem inter cives sortitus primo 2 leg. urbanis, post proelium Cannense classi 120 navium praefuit (Liv. XXII, 35; 55; 57; XXIII, 21; App. VII, 27).

M'. Pomponius Matho iurisdictionem inter cives et peregrinos sortitus post proelium Cannense duabus legionibus urbanis novis praefuit, cum praetor urbanus abesset (Liv. XXII, 35; 55; XXIII, 20; 22; 24).

M. Claudius Marcellus, cui Sicilia provincia sorte evenerat, post proelium Cannense classe Furio collegae tradita reliquiis Cannensibus, quibus legionem navalem III[am] adiecit, praefuit (Liv. XXII, 35; 57; XXIII, 14).

L. Postumius A. f. A. n. Albinus in Galliam provinciam cum 2 legionibus (25000 militum) missus consul designatus in Litana silva cum legionibus caesus est (Liv. XXII, 35; XXIII, 24; Polyb. III, 106).

AEDILES CURULES.

Tib. Sempronius Gracchus, C. Laetorius (Liv. XXIII, 30).

AEDILES PLEBIS.

M. Aurelius Cotta, M. Claudius Marcellus (Liv. XXIII, 30).

TRIBUNI PLEBIS.

Q. Baebius Herennius (Liv. XXII, 34).

QUAESTORES.

L. Atilius, L. Furius Bibaculus (Liv. XXII, 49).

PROCONSULES.

P. Cornelius Scipio prorogato imperio bellum mari ad Hispaniam cum 80 navibus gessit (Liv. XXIII, 26).

Cn. Servilius Geminus, M. Atilius Regulus legionibus in consulum exercitu praesunt (Polyb. III, 106; 116; Liv. XXII, 34; 40).

Cn. Cornelius Scipio cum imperio proconsulari cum 2 leg. anno 218 scriptis bellum in Hispania gessit (Liv. XXIII, 26).

PROPRAETORES.

T. Otacilius Crassus Siciliam provinciam cum 75 navibus longis et 2 legionibus anno 217 scriptis obtinuit (Liv. XXII, 37; 56; XXIII, 21 cf. 31; 32). Marcellus, cui ea provincia evenerat, in Siciliam non pervenit.

A. Cornelius Mammula Sardiniam provinciam prorogato imperio obtinuit cum 2 leg. anno 217 eo missis et 30 navibus longis (Liv. XXIII, 21; 32).

LEGATI.

P. Valerius Flaccus, C. Aurelius Marcelli praetoris ad Nolam (Liv. XXIII, 16).

M. Minucius ad Cannas caesus est. Cum priore anno mag. eq. fuerit, non dubito quin hoc anno legatus fuerit (Liv. XXII, 49).

TRIBUNI MILITUM.

Cn. Cornelius Lentulus (Liv. XXII, 49). P. Sempronius Tuditanus (Liv. XXII, 50). Q. Fabius Verrucossi f. Maximus legionis I, L. Publicius Bibulus, P. Cornelius Scipio legionis II, Ap. Claudius Pulcher legionis III (Liv. XXII, 53).

PRAEFECTUS.

M. Iunius Silanus (Liv. XXIII, 15).

TRIUMVIRI MENSARII.

L. Aemilius Papus, M. Atilius Regulus, L. Scribonius Libo, tribunus plebis (Liv. XXIII, 21).

SENATORES.

Sp. Carvilius; Q Fabius Maximus Verrucossus (Liv. XXIII, 22); T. Manlius Torquatus (Liv. XXIII, 22); Q. Fabius Pictor (Liv. XXII, 57; XXIII, 11).

L. Caecilius Metellus, P. Furius Philus nobiles iuvenes (Liv. XXII, 53).

LEGATI CAPTIVORUM.

M. Iunius (Liv. XXII, 58). L. Scribonius, C. Calpurnius, L. Manlius (ibid. 61.)

DUUMVIRI AEDI CONCORDIAE DEDICANDAE.

M. et C. Atilii (Liv. XXIII, 21).

PONTIFICES.

L. Cornelius Lentulus Caudinus, pontifex maximus. Q. Aelius Paetus in acie caesus est; in eius locum factus est Q. Fulvius Flaccus; P. Scantinius hoc anno mortuus est; in eius l. f. e. Q. Caecilius Metellus; L. Aemilius Paulus consul in a. c. est; in e. l. f. e. Q. Fabius Maximus (Liv. XXII, 21). C. Papirius C. f. Maso; P. Licinius Crassus; M'. Pomponius Matho; T. Otacilius Crassus; T. Manlius Torquatus.

DECEMVIRI SACRORUM, AUGURES, FLAMINES, REX SACRORUM, CURIO MAXIMUS iidem qui anno 218.

SCRIBA PONTIFICIS. L. Cantilius (Liv. XXII, 57).

EXPLICATIONES.

Quae provinciae in sortem coniectae sint, quae cuique magistratuum evenerit, qui viri prorogato imperio in provinciis remanere iussi sint, ex iis veterum scriptorum locis, quos singulis nominibus adscripsimus perspicue intelligitur. Minus facile ad cognoscendum est qui exercitus cuique provinciae praesidio fuerint; rara enim est et multis locis dispersa huius rei commemoratio apud veteres scriptores.

Duabus autem partibus haec commentatio continebitur, quarum una erit de rebus ante Cannense proelium, altera de postea gestis. Atque prioris partis initium ex hoc Livii loco capiendum est (XXII, 36): *Decem milia novorum militum alii* (scriptores) *scripta in supplementum, alii novas quattuor legiones, ut octo legionibus rem gererent: numero quoque peditum equitumque legiones auctas milibus peditum et centenis equitibus in singulas adiectis, ut quina milia peditum, quadringenti equites essent, socii duplicem numerum equitum darent, peditis aequarent: septem et octoginta milia armatorum et ducentos in castris Romanis, cum pugnatum ad Cannas est, auctores sunt.* Quo loco non possumus non mirari, Livium veteres scriptores, quos sequebatur, variare dicere. Immo vero variare videntur, revera non variant, sed inter se adiuvant et confirmant. Ostendit autem ille locus octo legiones vel 87200 milites ad Cannas in castris fuisse. Eadem est Polybii sententia, neque repugnant quae postea gesta sunt. Nam cum ad 67000 militum aut caesa aut capta illa pugna essent, paucis post pugnam diebus tot milites fuga elapsi in proxima convenerunt oppida, ut *iam aliqua species consularis exercitus esset* (Liv. XXII, 54), et ut paulo post duae iustae legiones iis compleri possent. Praeter illas octo legiones, cum quibus adversus Hannibalem bellum consules gerere iussi sunt, duae legiones sub Postumio praetore in Galliam cisalpinam missae sunt, duas urbi praesidio remanere placuit. Opus igitur erat 12 legionibus; scriptae erant 6, quarum 2 urbi praesidio fuisse, 4 Fabio, postea consulibus ducibus bellum gessisse supra demonstravimus; sequitur ut 6 legiones novae omnino scribendae fuerint.

Iam vero progredi non possumus, nisi antea docuerimus, in quas provincias illae 6 legiones novae decretae sint. Ac veteres prioris anni legiones urbanas non iam in urbe relictas, sed in bellum missas esse consentaneum est, ut duae ex novis earum loco urbi praesidio relinquerentur. Cui opinioni firmissimum accedit argumentum hic Livii locus XXIII, 14: *Et dictator M. Iunius Pera ... praeter duas urbanas legiones, quae principio anni a consulibus conscriptae fuerant, ... ad ultimum prope desperatae rei publicae auxilium descendit*, quo loco legiones urbanas anno ineunte scriptas esse cognoscitur. Reliquae iam sunt 4; quaeritur utrum eae omnes adversus Hannibalem, an duae cum consulibus, duae in Galliam missae sint. Quam ad quaestionem diiudicandam maximum pondus habent haec Livii verba (XXII, 41): *Omnia ei* (Hannibali) *hostium haud secus quam sua nota erant: dissimiles concordesque imperitare, duas prope partes tironum militum in exercitu esse.* An perspicuum non est, si praeter 10000 militum supplementum, quod scriptum esse paulo infra demonstrabimus, 2 legiones novae, 2 veteres urbanae ad 4 veteres illas Fabianas accessissent, Livium scribere

non potuisse, duas prope partes tironum in illo exercitu fuisse? Si illud factum esset, dimidiam fere partem tirones fuisse eum dicere debuisse computatione facta perspicuum est. Sequitur, 4 legiones illas novas cum 10000 militum supplemento, ut 30000 militum novorum essent, adversus Hannibalem missas esse, 2 novas in urbe praesidii causa mansisse, veteres urbanas a L. Postumio in Galliam abductas esse. Apparet igitur omnino 6 legiones novas eo anno scriptas, ex his in bellum, cum 2 Romae remanerent, 4 missas esse novas, qua re deceptos annalium conditores nonnullos tradidisse, 4 legiones novas ad id bellum scriptas esse.

Sequitur ut de supplemento, quod nonnulli annales scriptum esse memoriae prodiderunt, disserendum sit. Qua in re facile est ad intelligendum, cum antea legiones quaternorum milium peditum fuerint, singularum numerum singulis milibus augendum fuisse, ut quinorum milium essent. Itaque etiamsi illae 6 legiones, quae anno ineunte iam in armis erant, integrae fuissent, tamen 6000 militum supplementum scribendum fuit. At integrae nequaquam illae erant; sed proeliis illis et cum Hannibale et in Africa commissis, quae a Livio (XXII, 16; 22; 24; 31) commemorantur, facile 4000 militum Rom. amissa esse, si non certa ratione demonstrari potest, at a verisimilitudine non est alienum *). Itaque cum ne illis quidem annalibus, qui 10000 novorum militum in supplementum scripta esse tradunt, fides derogari possit, probavisse me confido quod supra scripseram, videri variare annales illos, revera non variare, ac tantum abest ut eorum hac in re auctoritatem aspernemur, ut eorum testimonio ea ratio, quam et Livius et Polybius secuti sunt, confirmetur et stabiliatur.

Itaque anno ineunte 17 legiones bellum gerere placuit. Quarum duae erant in Hispania, duae in Sardinia, duae in Sicilia, una in complures partes divisa compluribus oppidis, Tarento maxime, praesidio erat; duae in Galliam, octo adversus Hannibalem mittebantur. Quibus si 2 leg. urbanas addis, omnium legionum summa 19 conficitur. Absolvimus priorem partem commentationis institutae. Sequitur altera, ut explicemus quos exercitus post cladem Cannensem Romani Hannibali opposuerint. Quod recte fieri non potest, nisi antea docuerimus, quot e Romanorum exercitu ex illa clade evaserint. Qua in re Livium sequemur; Polybius enim (III, 117) cum 70000 ped., 6000 fere eq. caesa esse tradit, adeo numerum auget, ut intelligi non possit, quomodo ex reliquiis 2 legiones effici potuerint, quas expletas esse Livius XXIII, 31 perspicue narrat. Caesi igitur sunt in acie 45500 pedites, 2700 equites **), in proelio capti sunt 3000 ped. 1500 eq., Cannis 2000 mil., paulo post in maioribus castris 5800, in minoribus 6400 ***) capti. Itaque 48200 caesi, capti 18700, ut recte M. Iunius legatorum, quos captivi Romam miserant, princeps dicere posset (cp. 59): *Octo milia servorum audio armari: non minor*

---

*) Reputandum est in omnibus his numeris, quos Livius exhibet, dimidiam fere partem Romanos, dimidiam socios fuisse.

**) Itaque a veritate nec M. Iunius nec T. Manlius (cap. 59. 60) magnopere recedunt, cum 50000 in acie caesa esse dicunt. Amplificationi enim rhetoricae aliquid tribuendum est.

***) In maioribus castris 10000, in minoribus 7000 militum fuisse Liv. l. l. scribit. Atque ex his quidem 600, ex illis 4200 Canusium perfugerunt. itaque in minoribus 6400, in maioribus 5800 capti sunt.

numerus noster est. Summa vero caesorum et captorum 66900 efficitur; quem numerum si de 87200, quos ad Cannas pugnasse constat, deduxeris, pervenies ad 20300, e quibus 2 leg. effici potuisse apertum est. Ei exercitui Marcellus praetor praepositus est. Sed cave credas, omnes illos, quos e clade Cannensi servatos esse modo diximus, ad signa convenisse ad Marcellum; immo verisimile est, aliquot milia militum propter vulnera accepta militare postea non potuisse, et magnam multitudinem sociorum, quos a Romanis defecisse Livius tradit, domum rediisse. Quae sententia confirmatur ea quoque re, quod Marcellus Canusium ad exercitus reliquias suscipiendas profecturus tertiam legionem classicam, quae e sociis scripta erat, eo praemisit. Ita duarum legionum (16 ad 20000 militum) exercitus completus est. Legionem autem illam classicam per totum annum ad eum exercitum remansisse ex his verbis Livii XXIII, 25 colligo: *De exercitu M. Marcelli, qui eorum ex fuga Cannensi essent, in Siciliam eos traduci atque ibi militare donec in Italia bellum esset placuit;* docent enim haec verba, praeter milites Cannenses alios etiam milites in Marcelli exercitu fuisse.

Praeterea M. Iunius dictator 4 legiones novas et 1000 eq. conscripsit, sed nec Livius neque alius rerum scriptor perspicue tradit, quo missae sint hae legiones hoc anno. Colligi tamen potest ex his verbis Livii XXIII, 25, quae ad annum 215 spectant: *Duae legiones urbanae alteri consuli, qui in locum L. Postumii suffectus esset, decretae sunt. . . C. Terentio propagari in annum imperium, neque de eo exercitu, quem ad praesidium Apuliae haberet, quicquam minui* (placuit), ex quattuor illis legionibus novis statim post proelium Cannense medio anno 216 duas traditas esse Terentio consuli, duas Pomponio praetori, cum illi soli ex recensu nostro reliqui sint magistratus, quibus exercitus tradi potuerint praeter dictatorem. M. Iunius autem dictator 2 leg. urbanas, quae anno ineunte scriptae Romae remanserant, additis 8000 servorum et 6000 eorum hominum, qui vinculis soluti erant, et aliquot sociorum cohortibus in Campaniam abduxit. Legiones 2, quae in Galliam anno ineunte missae erant, in Litana silva deletae sunt (25000 mil.). Itaque anno exeunte binae legiones militabant in Hispania, in Sardinia, in Apulia, ad Teanum, ad Nolam; duae Romae praesidebant, una per multa oppida distributa erat. Defendebatur igitur res publica 15, vel si volonum catervas legiones dixeris (quae postea volonum legiones vocantur) 17 legionibus.

Absolvimus alteram quoque partem commentationis nostrae. Itaque cum de classe nihil mutatum sit, nisi quod 25 naves a Marcello in Siciliam subsidio missae sunt (Appian. VII, 27; Liv. XXII, 37), restat ut si quid de hominibus, quos supra in tabulis nominavimus, commemoratione dignum sit, nunc proferamus. Quo antequam pergamus, id addere libet, quamquam minus proposito nostro necessarium videri potest, a veritate leviter tantum recedere Appianum haec dicentem (VII, 25): *Καὶ Ῥωμαῖοι δύο ἔτεσιν ἤδη περὶ τὴν Ἰταλίαν Ἀννίβᾳ πολεμοῦντες ἀπολωλέκεσαν ἀνδρῶν ἰδίων τε καὶ συμμάχων ἐς δέκα μυριάδας*, quippe qui duos pro *tribus annis* dixerit.

Hoc loco iterum Polybii sententiam refellendi necessitas nobis iniuncta est. Is enim (III, 116) M. Atilium Regulum proconsulem ad Cannas caesum esse nominatim tradit; Livius contra (XXII, 40) eum aetatem excusantem a consulibus Romam e castris dimissum esse scribit. Livio autem fidem esse habendam facile intelligitur ex XXIII, 21:

4

Romae propter penuriam argenti triumviri mensarii facti ... M. Atilius Regulus, qui bis consul fuerat, quae verba Atilium anno exeunte vixisse docent. Alius enim M. Atilius Regulus, qui consul fuerit illis temporibus, invenitur in fastis consularibus nullus. Quin etiam anno 214 M. Atilius Regulus quidam censor creatus est (Liv. XXIV, 11). Atqui constat, viros consulares tantum censores factos esse; sequitur cum alius illius nominis M. Atilius Regulus consularis non extet, censorem illum anni 214 hunc M. Atilium esse eumque biennio post illud tempus vixisse, quo Polybius eum caesum esse disertis verbis scripsit. Ceterum ea re videtur erroris illius causa enata esse, quod Atilium illum, quem quaestorem in acie caesum esse constat (Liv. XXII, 49), proconsulem fuisse falso opinatus est.

Quaeri deinde potest, cur viros illos M. Minucium, L. Scribonium Libonem, quos tribunatum gessisse Terentio et Aemilio consulibus certum est (Liv. XXIII, 21), in tabulas non rettulerimus. Lata autem est a Minucio rogatio de triumviris mensariis faciendis ineunte anno 215 a. Chr. Februario fere mense (cf. cap. 19—21); itaque a. d. IV Id. Dec. anni 216 ambo magistratum inierunt, ut 3 circiter menses Terentio et Aemilio consulibus tribunatum gesserint. Insequentis igitur anni magistratibus eos inserere malui, cum quibus 9 menses una magistratu fungerentur eadem de causa, qua Q. Baebius Herennius, qui anno 217 exeunte tribunus factus est, huic anno inserendus erat.

Annus urbis conditae 539, ante Christum natum 215.

CONSULES.

Tib. Sempronius Tib. f. Tib. n. Gracchus cum 2 legionibus volonum et 25000 socium bellum in Campania gessit. Oram Campaniae maritimam 20 fere navibus tutatus est. In Apulia hibernavit (Liv. XXIII, 30; 32; 35; 38; XXIV, 3; Zonar. IX, 3; Oros. IV, 16).

L. Postumius A. f. A. n. Albinus III, antequam magistratum ingrederetur, praetor in Gallia occisus est. In eius locum creatus est

M. Claudius M. f. M. n. Marcellus II. Sed quod, si hic magistratum inisset, tum primum ambo consules plebeii fuissent, augures vitio creatum eum pronuntiaverunt, et suffectus est

Q. Fabius Q. f. Q. n. Maximus Verrucossus Cunctator III. Is cum 2 leg. M. Iunii anno 216 scriptis in Campania bellum gessit (Liv. XXIII, 31; Plut. Fab. 19).

PRAETORES.

Q. Fulvius Flaccus provinciam urbanam sortitus (Liv. XXIII, 30) unam legionem (5000 ped., 400 eq.) scripsit, scriptam T. Manlio Torquato propraetori in Sardiniam transportandam tradidit (Liv. XXIII, 34); ipse 25 navibus longis suburbana littora tutatus est (Liv. XXIII, 32).

M. Valerius Laevinus iurisdictionem inter cives et peregrinos sortitus iurisdictione

collegae demandata in Apulia 2 legionibus, quae ex Sicilia arcessitae erant (anno 217 scriptae), ad Luceriam, postremo ad Brundisium praefuit (Liv. XXIII, 30; 32; 48).

Ap. Claudius Pulcher in Sicilia provincia 2 legionibus Cannensibus praefuit (Liv. XXIII, 30; 31).

Q. Mucius Scaevola Sardiniam provinciam sortitus valetudine coactus provinciam T. Manlio Torquato propraetori a senatu cum 30 navibus longis et una legione illuc misso tradidit (Liv. XXIII, 30; 34; 40).

AEDILES CURULES.

Q. Fabius Verrucossi f. Q. n. Maximus (Liv. XXIV, 9).

TRIBUNI PLEBIS.

C. Oppius legem tulit, *ne qua mulier plus semunciam auri haberet: neu vestimento versicolori uteretur: neu iuncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille passus nisi sacrorum publicorum causa veheretur.* Quae lex anno 195 a. Chr. abrogata est. (Liv. XXXIV, 1; Oros. IV, 20; Tac. Annal. III, 33; Val. Max. IX, 1, 3.)

M. Minucius Rufus, L. Scribonius Libo (Liv. XXIII, 21).

PROCONSULES.

P. Cornelius Scipio ad Hispaniam prov. 80 navium classi praefuit. (Liv. XXIII, 26; 48; 49).

Cn. Cornelius Scipio 2 legionibus anno 218 scriptis praeest (Liv. XXIII, 26).

C. Terentius Varro prorogato imperio primum 2 leg. suas in Apulia retinere iussus, postea in agro Piceno conquisitiones agit legionibus L. Apustio legato traditis Tarentum deducendis (Liv. XXIII, 25; 32).

M. Claudius Marcellus 2 leg., quae anno 216 urbi praesidio fuerant, ad Nolam praeest (Liv. XXIII, 30; 32; 42; 44—46; Eutrop. III, 7; Plutarch. Marc. 12; Zonar. IX, 3; Oros. IV, 16).

PROPRAETORES.

T. Manlius Torquatus cum 5000 ped., 400 eq., 30 navibus in Sardiniam missus provinciam a Q. Mucio accepit. Sociis navalibus armatis 22000 ped., 1200 eq. exercitum confecit. Rebus bene gestis legionem Romam reduxit, unde in Galliam missa esse videtur (Zonar. IX, 4; Liv. XXIII, 34; 40; 41; Eutrop. III, 7).

M'. Pomponius Matho anno vertente in Galliam provinciam missus uni legioni et sociis a Terentio scriptis praefuit (Liv. XXIV, 10).

T. Otacilius Crassus ad Siciliam 100 navium classi praeest (Liv. XXIII, 32; 41; XXIV, 8).

LEGATI.

Tib. Sempronius C. f. C. n. Longus M. Valerii praetoris (Liv. XXIII, 37).

Tib. Maecilius Croto Ap. Claudii praetoris 2 leg. Cannenses in Siciliam transportavit (Liv. XXIII, 31).

L. Antistius Ap. Claudii pecuniam ex Sicilia ad classem Tarentinam tuendam devehit (Liv. XXIII, 38).

P. Valerius Flaccus M. Valerii praetoris 25, postea 50 navibus inter Brundisium et Tarentum Italiae oram tuetur et de bello Macedonico explorat (Liv. XXIII, 32; 34; 38).

L. Apustius Tarenti militum Varronianorum parti praeest (Liv. XXIII, 38).

L. Valerius Antias 5 navium P. Valerii Flacci praefectus (Liv. XXIII, 34).

L. Atilius praesidii Locrensis praefectus (Liv. XXIV, 1).

EQUES.

Tib. Claudius Asellus in Fabii consulis exercitu (Liv. XXIII, 46; 47).

DUUMVIRI AEDIBUS DEDICANDIS.

Q. Fabius Maximus Veneri Erycinae,

T. Otacilius Crassus Menti (Liv. XXIII, 31).

PONTIFICES.

L. Cornelius Lentulus Caudinus, pontifex maximus, **C. Papirius C. f. Maso**, **P. Licinius Crassus Dives**, **M'. Pomponius Matho**, **T. Manlius Torquatus**, **T. Otacilius Crassus**, **Q. Fulvius Flaccus**, **Q. Caecilius Metellus**, **Q. Fabius Maximus**.

DECEMVIRI, AUGURES, FLAMINES, REX SACRORUM, CURIO MAXIMUS

iidem qui anno 218 fuerunt.

EXPLICATIONES.

Anno 216 exeunte 17 legiones in armis fuisse supra demonstravimus. Quaerendum igitur primum videtur esse, utrum hoc anno pari legionum numero bellum geri placuerit, an is numerus aut patrum iussu aut belli incommodis et temporis longinquitate aliquanto imminutus sit. Quam ad rem intelligendam multum faciunt haec Livii verba (XXIV, 11), quae ad annum 214 spectant: *Duodeviginti legionibus bellum geri placuit: binas consules sibi sumere, binis Galliam Siciliamque ac Sardiniam obtineri, duabus Q. Fabium praetorem Apuliae, duabus volonum Tib. Gracchum circa Luceriam praeesse, singulas C. Terentio proconsuli ad Picenum et M. Valerio ad classem circa Brundisium relinqui, duas urbi praesidio esse. Hic ut numerus legionum expleretur, sex novae legiones erant scribendae.* Apparet enim ex his verbis perspicue, primum legiones Hispanienses non recenseri, aut quia earum numerus bello diuturno supplemento non submisso ita imminutus erat, ut legiones non iam dici possent, aut quia, id quod magis crediderim, belli gerendi in Hispania ratio ita ferebat, ut permixtis Romanis et sociis multos exercitus parvos Scipiones efficerent, ita ut legiones non iam comparerent. Apparet deinde, anno 215 exeunte 12 legiones in armis fuisse, cum ad 18 efficiendas anno 214 ineunte 6 novae scribendae essent. Itaque quaeritur, quae 3 legiones ex reliquis 15 hoc anno dimissae esse videantur.

